



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu
Decretalium pentateu-||chus**

Mesnart, Martin

Parisiis, 1555

xxxviii. De iure patronatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

Cui competat ius patronatus.

25. *Nobis* **S**I quis ecclesiam cum ad sensu diocesani construxerit: ex eo ius patronatus adquirito. Ceterum in conuentuali ecclesia electioni faciendæ ne interesto. Iam factæ ut adsentiatur, honestus eius consensus postulator. Si tamen de sua iurisdictione obtinebit ut partes suas electioni tractandæ interponat: hoc ratum esto. In capella verò presbyter vnus à patrono elector. pro institutione habenda loci episcopo præsentator.

7. *Ex litetis.* **Q**uod si quis villam à monasterio cui ius patronatus in eiusdem villæ ecclesia competat ad firmam tenebit: quem is ad ipsam ecclesiam vacantem præsentasset, dum ne tamen ius patronatus in firma exceptum, nec ante præsentationem lis inter monasterium & ipsum de iure patronatus orta fiet, si idoneus erit, & ab episcopo receptus, ecclesiam obtineat. Si verò postea lis erit, & monasterium obtinebit: illi de tempoalibus respondero.

18. *Significasti.* **I**tem episcopi si post promotionem suam præsentationes personarum ad ecclesias à patronis earum pro ecclesiis sibi commissis indepti fient: quas personas ad eas sic vacantes præsentassint, si idoneæ erunt, admittuntor.

19. *Consultationibus.* **S**ed & si quis clericus ab ordinario institutus erit ad eius præsentationem qui tantum patro-

nus esse creditus fiet : si tamen etiam præsentationis tempore ius patronatus possederit, etsi post alius iudicio id euicerit, ab ecclesia ne remouetur. Nullum tamen ex hoc ei qui de iure habere debet præiudicium generator. At si non possederit, sed tantum falso patronus creditus fiet: sic institutum remouere licet.

Quod ius habeat patronus.

IN quibus ecclesiis quis ius patronatus habet, hæ sine eius adfensu ne occupantur. per ^{14. Ex in} ^{sinuatione} eum liberè ordinantur.

Sed etsi parochialium ecclesiarum rectores ^{30. Post-} ^{lasti.} ad earundem titulos quosdam ordinandos præsentassint: ni de patronorum id processerit adfensu, nullum ollis, quominus ad eas, cum uacabunt, alios præsentare valeant, præiudicium generator.

Fundatoribus quoque pro fundatione ecclesie ^{25.} processionis honor seruatur. Si ad ino- ^{de mu. fi.} piam uergent: ollis ab ecclesia modestè succurritur.

Ecclesias tamen ne grauanto. Fodrum, al- ^{23. Præter} ^{ea. q.} bergarias, reglum, & similia quæ uocant tanquam à propriis rusticis ab ecclesiis ne extorquentur. Nihil in his præter antiquos & moderatos redditus à locorum episcopis institutos exigunt. Si aliud exegerint: excommunicationi

De Iure patronat.

subduntor .

21. Sed nec laici ecclesias possessionibus spoliato. *de iur. de iur. Episcopi* hoc sub anathematis interminatione publice prohibento. Si quis contemnet: eum excommunicationi subdunto.

23. *Cum seculum.* Immo nec Hospitalarii, cum ratione feudorum emptorum, aliterve adquirentium, seu alio modo in ecclesiis parochialibus ius patronatus indepti erunt, episcopo ius parochiale minuunt.

9. *Quæri- moniam.* Præterea nec ad singulas patronorum secundum humanam conditionem mutationes ecclesiarum ordinationes mutantor. Vicissitudines earum ab aduocatis aliisque ne præsumuntor.

4. *Præter ca. 1.* Insuper laici episcoporum autoritate neglecta clericos in ecclesiis ne instituunt, neque cum voluerint remouent. Possessionem, & alia ecclesiastica bona pro sua voluntate ne distribuunt. Qui faxint anathemate feriuntor. Clericus si per laicos sine proprii episcopi autoritate ecclesiam receperit communionem priuatur. Si perstiterit: à ministerio ecclesiastico, & ordine deponitor.

21. *Relatiū in prin.* Nemo enim laicæ recognitionis occasione, non requisita episcopi audientia, beneficia ecclesiastica sibi vèdicato, pastoris nomine & prærogatiua ne gaudet. Ni commonitus resignabit: si non episcopi concessione munitus fiet, ab officio & beneficio alienus redditor.

An variare possit, & quando.

Cum aduocatus episcopo idoneum clericum 24. Cum autem. presentasset, si postmodum eo non refutato alium æquè idoneum in eadem ecclesia postulabit admitti, dum tamen laicus fiet cui ius presentandi competet, quis eorum alteri præferatur iudicio episcopi relinquitor. At si collegiū, ecclesiasticæve persona præsentationem habebit: qui tempore prior erit iure potior esto.

Et si is, qui primū à laico patrono præsentatus fiet, non admissus apostolicā sedē adpellasset: qui tamē post ab eodē patrono præsentatus ab episcopo institut⁹ erit, hic potior esto. At episcopus si quem præsentatum idoneū admittere maliciōsè recusasset: eidem in competenti beneficio providere cogitor. 29. Pastoralis.

Si ergo à laico patrono clericus licet idoneus ad vacantem ecclesiam præsentatus ab episcopo diocesano admissus nō erit, & postmodum 5. Quod autem. in prin. alius idoneus præsentatus & institutus ab episcopo possessionem tenebit corporalem: huius melior conditio esto. Sic antequam per diocesānum episcopum præsentatio adprobetur quod à patrono inchoatum fiet ratum ne esto.

Laici autem clericos in ecclesiis in quibus ius 10. Cum laici. habent patronatus præsumptione propria ne ordinanto, néve nescientibus aut nō consentientibus episcopis eas clericis concedunto. Et si faxint, post autem pœnitentia ducti alios ad eas repræsentassint: horum, cū in ipsis ecclesiis ad patronorum præsentationem ab episcopis

De iure patro.

instituti erunt, institutio rata esto.

31. *Trans-*
missa.

Sic capitulum quoque ecclesie si cui ecclesiam, in qua ius habeat patronatus, contulerit, cum id non possit, deinde alium ad eandem presentasset, etsi prior ille appellasset, presentatum, si idoneus erit, in ipsa ecclesia, episcopo instituire liceto. hic potior esto.

28. *Cū di-*
lectus.

Sic laicus patronus clericū sive tanquam laicum si quem episcopo presentasset ad ecclesiam in qua ius patronatus habeat, nec ille fuerit admissus, alter autem quem presentabit institutus erit: hic ius indeptus esto. Sin legatus primò vocaturum beneficiū in certæ ecclesiasticæ personæ territorio donationi suæ reseruasset: is, cui mandatum tanquam clerico factum erit, patro. Si quem presentasset: dum reseruatiōi satisfactum non erit, irrita presentatio esto. Mandato autem postea expleto si ad eius presentationem idem beneficium cuiquam ab episcopo concessum erit: priori presentatione non obstat eius concessio canonica esto.

Quid si dissideant patroni.

1. *Perla-*
sum.

Ecclēsia inter hæredes patroni ne hereditator. Si similtates inter eos surrexerit, propter quas sacerdos suo ibi officio fungi nequeat, nec aliter potis erit prouiderier: episcopus, vt, donec ad concordiam redeant, & ecclesia sacerdotem canonicè habeat, qui liberè suum ministerium exercere possiet, nullo modo ibidem sacrificium offeratur, præcipito.

Patroni itaque si pro ecclesia dissidebunt, & <sup>2. Quæ-
cunq;.</sup> eam sub vno presbytero procurari nolent: episcopus, si non aliter ipsi consulere poterit, inde reliquias tollito. eiusdem ecclesiæ ostia claudito. Sic sacrum mysterium, antequam presbyterum vnum idoneum elegerint, nullus in ea celebrato.

Hoc etiam, cum propter laicorum discordias <sup>27. Cuius
propter.</sup> de iure patronatus cõtendentium quæstio emerferit, remedium esto. Ni hæc ab eo, cui competet, intra menses quatuor definita erit, mox episcopus ecclesiam ipsam de persona idonea ordinato. Ei tamen qui subinde ius patronatus cui cerit sine fraude esto.

Idcirco fundatores ecclesiarum hæredesve ^{3. Quoniam} eorum potestate, in qua eos ecclesia hactenus sustinuit, ne abutuntor. ad ecclesiam vnam plures pro sua defensione ne repræsentanto. hæc vnus rectoris esto. Si in plures partes eorum se vota diuiserint: regulariter qui maioribus iuuabitur meritis, & plurimorum elegetur & approbabitur ad sensu, is ecclesiæ præficitor. Si sine scandalo id esse nequibit: antistes, si cut secundum deum viderit, ecclesiam ordinato. Id ipsum, si de iure patronatus inter aliquos quæstio emerferit, nec, cui competat, intra quatuor menses, vt prædictum est, definitum fiet, facito.

Hodie autem illas ecclesias, de quarum patronatu ^{22. Eate.} controuersia erit, si non intra sex menses postquam vacasint ea terminata fuerit, de persona idonea episcopi licitè ordinanto.

12. *Si verò* In summa: si ordinatio alicuius ecclesie pro
controuersia laicorum de iure patronatus inter
se disceptantium prorogabitur: is, ad cuius in-
stitutionem ea spectabit, in ea personam idoneam
instituito. hæc tamen ab eo, qui ius euicerit pe-
tronatus, repræsentator.

*Quibus modis amittatur, transferatur ve
ius patronatus.*

6. *Quia
clerici.*

Clerici aduocatas ecclesiarum, vt post con-
gnati nepotésve ad ipsas ecclesias præsen-
tentur, ne cõparanto, néve adquirũto. Si faxint
sic adquisitis aduocationibus adpellatione post-
posita spoliantor.

15. *Consi-
luit.*

Sanctuarium enim dei hæreditario iure ne po-
ssetur. vnde clerici ecclesias à parentibus suis
fundatas propria autoritate ne detinẽto, néve
laici filii eas concedunto.

26. *Per no-
stras.*

Sed nec seipsum quis ecclesiasticæ prælatio-
nis officiis ingerito. Idcirco clericus patronus
ad ecclesiam vacantem, eiúsvē personatum, in
qua ius obtinebit patronatus, quantumcunque
idoneus fiet, & quibuscunque studiis ac meritis
adiuuabitur, se præsentare ne permittitor.

16. *De iu-
re.*

Insuper ius patronatus quod spirituali adnectitur
est ne venditor. Si quis comparasit: contractus
inritus esto.

23. *Præ-
serea. ii.*

Generaliter autem aduocati ecclesiarum, sive
patroni, vicedomini, custodésve, seu quocunque
nomine censeantur, ius ipsum aduocationis ob-
tentionis, emptionisve titulo aut aliis pro sua vo-

luntate contractibus in alios ne transferunto.
Si faxint, facient: contractus huiusmodi sine vi-
ribus sunt.

Laici religioso loco ius patronatus conferun- *3. Illud.*
di liberam potestatem habent. At non vacan-
tem tamen ecclesiam, seu ius patronatus quod
habent episcopo inconsulto etiam religiosæ do-
muni ne danto. Et si faxint: si post, cum vacabit,
ad præsentationem laici clericus ibi erit per dice-
cesanum episcopum institutus, prior concessio
secundæ institutioni, quominus rata fiet, impe-
dimento ne esto. At si ius patronatus ecclesia
vacante religioso loco conlatus erit: nemo sine
præsentatione fratrum eiusdem loci in ea insti-
tuitor. alioquin institutio irritator.

Nemo igitur religiosus clericusve ecclesias *11. Cura.*
ex donatione laicorum, nisi diocesani episcopi
authoritas & consensus aderit, vendicato. Ne-
mo taliter adquisitas, ni legitima præscriptione
munitus fiet, diocesani ve episcopi consensum
post habuerit, retinet. Laicis in alios ius tantum
quod habent transferre liceto.

Vnde si laici clericis conlegiisve donationum *5. Quod
autem in
2. parte.*
seu concessionum instrumenta confecerint, qui-
bus ecclesiam duisse concessivè contineatur:
si non consensus episcopi accesserit, nihil agi
intellegitor. pro non dato habetor.

Et ita in donationibus ecclesiarum patrono- *20. Sugge
stion.*
rum quidem consensus requiritor, expectator,
at ecclesiæ tamen sine pontificali autoritate
ne conceduntor. Si factum fiet, & posterior alia
concessio cum adsensu patroni & autoritate

17. *Nul-
lus laicus* diocæsani episcopi facta proferetur: ni priori po-
stea cõsensu episcopi accesserit: hæc proferetur.
Nullus enim laicus decumas, ecclesiã, aliudve
ecclesiastici iuris sine concessione sui pontifi-
cis monasteriis canonicisve confert. Si quis te-
men episcopus improbitate, avaritãve cau-
sã consentire nolet: Romano pontifici nunciat.
quod offerendum erit tunc eius licentia offer-
tor.

*De Censibus, exactionibus, & proce-
rationibus. Tit. 39*

De censibus.

2. *Omnis
anima.* **O**Mnis anima sublimiorib⁹ potestatibus sub-
dita esto. Tributa autem subiectionis huius
modi probatio sunt.

5. *Perue-
nit.* Nullus tamẽ ignoratiã census esto. Omnis ce-
sus ad quid & quãdo persolui debeat præscitor.

3. *Scientes* Vnde ecclesiarum prælati novos ipsis census
& qui non ab initio fuerint, labentibus tempo-
ralibus ne indicunt.

7. *Prohi-
bemus.* Itaque abbates, episcopi, aliive prælati nec no-
uos census ecclesiis imponunt, nec veteres au-
gento, aut partem prouentuum suis vsibus ad-
propriant, & ita maiores quam sibi libertatem
conseruare desiderant minoribus suis syncret
voluntate conseruant. Si quis aliter faxit: ini-
tum quod egerit habetor.

35. *Gra-
uis.* Sed & cætæræ ecclesiasticæ personæ siue noui
censum ecclesiis imponi, siue veterem augeri
faxint, & à presbytero electo iuratorium aut i-
deiusforiam cautionem hactenus exegerint, hæc